

B. N. II, 129.

fr. 32, 12.

(X-188 0684)

82

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

FORO

AUSTREGALI,

Quam

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

PERMISSU ET AUTHORITY

Magnifici ac Amplissimi in Alma

GIESSENSI

DOCTORUM ORDINIS

Pro summis in utroque jure honoribus ac privilegiis

Doctoralibus legitimé capeffendis

publicæ ac solenni

Magnifici & Amplissimi

SENATUS ACADEMICI

disquisitioni subjicit

CHRISTOPH. HENRICUS TEXTOR,

Norico-Altdorf.

Ad diem Mart. M DC XCII.

H. L. Q. S.

GIESSÆ-HASSORUM, Typis Henningi Mulleri,



S. R. J.

Liberæ ac Florentissimæ

Reipublicæ Francofurtensis

Laudatissimis Proceribus

VIRIS

Illustri, Generosis, maximèq; Stre-

nuis, Nobilissimis ac Prudentissimis

DN. DN. DN. DN.

PRÆTORI

CONSULIBVS

SCABINIS

&

SENATORIBVS

Splendidissimis, Gravissimis,

Sapientissimis

Dominis ac Patronis suis


Omni observantiæ cultu æternùm prosequendis,

Inauguralem hanc Dissertationem humillimè

offert ac consecrat

AUTHOR






B. L. S.

Cum materiam quandam Disputationi
 Inaugurali convenientem eligere, mecum
 constituissem, vagatus per juris nostri latis-
 simum campum pendebar animi, quam materiã
 inter alias precipuè ad tractandum arriperem, in
 quarum copia autem optio admodum difficilis fuit,
 dum aliam raritas, aliam commendabat utilitas,
 tandem præ aliis præsens materia placuit, Et cum
 non solum ea, quæ foro, sed etiam quæ Reipublica
 conducant, tractanda sint, mihi vitio versum iri
 non spero, quòd pro themate in augurali juris pu-
 blici potius quàm privati elegerim materiam, scitis

*non minus necessariam quam utilem, per se quipp
 celebris est, nec verbosâ eget commendatione, quan-
 quam laboriosâ non careat difficultate, dispersa si-
 quidem est non solum per Ordinationem Camerae
 sed & per plures Imperii leges, ut labore Herculeo
 opus esse existimes. Non autem hoc dico ac si ani-
 mus mihi esset, plenè & accuratè hanc materiam
 pertractandi, non enim ulla ingenii arrogantia, sed
 materiae potius dignitas me eò perduxit, ut ex latissi-
 mis hujus materiae latifundiis pauca quaedam con-
 scriberem; Quae si accuratè & judicio à me facta
 fuerint, nemo damnabit, sin minus, cordatos viros
 veniam quoq; mihi, utpote humani quid passo, da-
 turos confido, sed utrum horum sit, disputatio ipsa
 docebit, quam ordior præmissis voto Lipsiano, quo
 politicam suam aggreditur: Tu mihi Dux Magne
 Deus & manum hanc mentemque dirige, ut salu-
 taria promam, atque dijudicem!*

Cum



CUM DEO!

THESIS I.



um omnis quæ à ratione de re aliqua suscipitur tractatio, à definitione proficisci debeat, *juxta Cic. lib. 1. de offic.* Definitioni autem præmitti soleant Etymologia, Homonymia, & Synonymia, hâc disputatione de foro Austregali acturus, pauca quædam eò pertinentia, priusquam ad materiam ipsam progrediar, præmittam; Descendit igitur vocabulum FORUM vel FORUS ut nonnulli volunt à FORONEO, *vel PHORONEO* Archivorum Rege, quòd primus Græcis legem dederit *c. forus X. de V. S. c. Moyses. 1. distinct. 7.* vel à FANDO ut vult *Isidorus.* Cùm verò apud Romanos omnia, tam judicaria, quàm negotiatoria fora essent loca amplissima, in urbe sub dio exstructa, non ineptè quidam asserunt forum dici à FORAS, quòd scil. foràs i. e. sub dio sit, vel à FERENDO, quòd eum in locum tam res controversæ quàm venales ferantur, atque hinc vero simile volunt loca ejusmodi traxisse denominationem, quam sententiam cum *Varrone lib. 4. de ling. latin.* puto veriozem.

THESIS II.

Varias autem FORUM habet significationes, sumitur enim quandoque pro loco, quo res venales exponuntur, vocatur aliàs forum venale, qualia multa Romæ fuisse,



notum est ex *Historiis*, interdū denotat locum in navi, *Gell. lib 16. noct. Att. 19.* Veteres appellabant forum, quod nunc vestibulum sepulchri dici solet, fortassis, quia Græci intra urbem & quidem sæpè in ipso F O R O sepelire solebant, & Romanis funera per forum ducere moris erat, *Joh. Kirchmann. lib. 2. de fun Rom. c. 18. & 26.* non nunquam sumitur pro Circensibus spectaculis, interdum etiam pro loco ubi litigantibus jus redditur, quæ postrema significatio est hujus loci.

T H E S I S III.

Homonymiam sequitur, Synonymia, quæ latissimè se diffunderet, si singulis immorari vellemus, nam forum à Paulo Icto dicitur Auditorium in *l. lecta. 40. pr. ff. de reb. cred. l. contra 44. §. 1. ff. de re jud.* similiter à Valentiniano Valente & Gratiano Impp. in *l. providendum 7. C. de postul. item ab Ulpiano in l. quæri solet 1. ff. an per alium caus. appell* à quo etiam vocatur Tribunal in *l. sed & hæ 35. §. non solum. 2. ff. de pro cur.* aliàs etiam dicitur Prætorium Curia, Consistorium, non nunquã appellatur jus, factâ scil. translatione ab eo quod fit, in eo ubi fit. *l. per ff. de just. & jur.* ut autem in loco exercendæ litis, quis legitimè conveniatur, requiritur competentia fori; Itaque qui ad in competentem judicem vocatus est, opponet exceptionem declinatoriam, quâ dicat, se non teneri ad actoris intentionem respondere, propter incompetentiam fori *l. ex quâcunque 2. in pr. ff. si quis in jus voc. non ierit. l. si quis 5. ff. de jud.* nec verbosè hoc in loco arbitror declarandas regulas, quibus de jure communi fit competens, sed hoc tantum addo, quibusdam personis ex singulari jure forum competere, sic pupilli, viduæ, aliique miserabiles homines item Studiosi, milites, Clerici, habent forum privilegiatum, sic Illustres ob dignitatem, huc que etiam retulerim, quod apud Austregas sortiuntur forum Electores,

Prin-

Principes cœterique Proceres & Status Imperii ac Nobiles immediati, hinc FORUM AUSTREGALE breviter definiri posse arbitror, quòd sit locus judiciariæ disceptationis apud Judices privilegiarios primæ instantiæ Principum, Statuum & Nobilium Imperii; Ubi tria potissimum considerare placet: 1. Judicium Austregale & huic correspondens forum, ubi regulæ circa personas observandæ erunt, in quibus Austregis locus sit vel non. 2. Materiam objectivam, quæ consistit in causis Austregarum 3. Austregalem processum.

THESIS IV.

Quæ ut eò melius intelligamus, ab initio notandum est, vocabulum hoc **Außtråg** origine esse Germanicum, à vulgari verbo **außtragen** deductum, *daß etliche dem H. Röm. Reich ohne Mittel unterworffene Glieder ihre zusammen habende differenz, Irrung und zweyung vermittelst der Außtråg nach Maas und weis in denen Reichs. Satzungen vorgeschrieben / rechtlichen außtragen oder beylegen sollen* *Besold. in Thesaur. pract. voce Außtråg Rosenthal de feud. cap. 10. concl. 24. n. 4. & concl. seq. Petr. Frid, Mindan. de process. lib. 1. c. 16. n. 1.* Ratio hujus rei desumi potest ab Austregarum primordiis, quæ, licet incerta sint, commodè tamen referri possunt in longum illud interregnum seculi XIII. & fortè ultimos Friderici II. annos, quippe quo tempore turbulentissimus fuit Status, quâ propter Imperatore à Pontifice excommunicato, & post mortem ejus in diutino inter regno, natæ inter Principes controversiæ ad arbitros probabiliter relatæ sunt, scil. cùm vel non esset judex legitimus, vel non esse crederetur, apud quem hoc rerum statu lites hujusmodi disceptarentur, itaque ab initio Judicum Austregalium similis videtur fuisse ratio, quæ in jure est arbitrorum

ex com.

Gell.
unc
in-
ole-
Job.
imi-
oco
est
imè
rum
red.
e &
no in
atur
et-
quã
o u-
itis,
ori;
op-
te-
om-
non
de-
ens,
ju-
iles
pri-
re-
res,
rin-



ex compromisso receptorum, sed progressu temporis suffragante consuetudine res hæc in peculiarem novæ jurisdictionis formam transit, donec legibus Imperii à Maximiliano I. & postea à Carolo V. ac Ferdinando I. ampliori modo Austregæ confirmarentur ac lege stabilirentur, subinde etiam aliis maximè Imperii Civitatibus diversis iudicestales ex privilegio concederentur.

T H E S I S V.

Quibus præmissis ad Austregas progrediendum est, quæ sunt iudicium delegatum Cæsareæ Majestatis quod in prima instantia juxta leges Imperii specialiter exercetur, indignum etenim visum est, si quod privatis permittitur, ut cum, unâ vincantur instantiâ, habeant provocandi copiam, hoc tantis Proceribus denegaretur, scilicet, cum suprema Imperii tribunalia ex legibus publicis privilegium habeant, ne ab illis appelletur, itaque huic rei provisum, Austregarum Juribus, ut & ipsi Principes ac Proceres primæ instantiæ loco privilegium Austregarum haberent, nec statim ad Camerae vel Aulae Cæsareæ Dicasteria abriperentur, cum aliàs directò in Camera stare compellerentur. *vid. Petr. Frid. Mind. de process. lib. 1. cap. 16. n. 1. quo & facit Ordin. Cam. part. 2. tit. 27.*

T H E S I S VI.

Judicium verò Austregale absolutè delegatum est, quia ab Imperatore committitur, quàmvis aliquo respectu etiam ordinarium dici possit prout pluribus explicavit D. *Textor parens meus mihi eternùm honorandus in Disputat. suâ ad Rec. Imp. Noviss. 3. §. 15.*

T H E S I S VII.

Cœterum differt iudicium Austregale à iudicio delegato simplici, quando v. gr. Imperator extra casus Austrega-

garum decernit aliquam Commissionem, quam discriminis causâ dicunt Commissionem Aulicam **von Hoffrauß** vid. *Wehner. tom. 6. Symph. Gylm. pag. 195. & seqq.* & observandum est, ut si quis forsan pro Commissione Austregali in Aulâ Cæsaris supplicare velit, ut hoc faciat verbis expressis, aliâs enim incidit in speciem commissionis Aulicæ vid. **Reichs Hoffraths Ordnung** *tit. 2. §. Dieweil aber der Billigkeit.*

THESIS VIII

Quâ in re multum interest, an Commissio sit Austregalis, an verò Aulica simplex; Commissarii enim Austregales sunt veri iudices primæ instantiæ, Commissarii verò Aulici extra casus Austregarum non semper, veluti si causa commissa sit cum voto, quia ipsi tantum cognoscunt & cum voto ad committentem referunt **Reichs Hoffraths Ordnung** *d. tit. 2. §. und dieweil auch. &c.*

THESIS IX.

Nunc de Austregarum divisione dicendum est, quæ à fundamentis vel causis proximis desumenda venit, omnes scil. Austregæ aut ex pacto, aut ex lege publicâ, aut ex privilegio competunt; Pactitii Austregarum iudices, **gewilskührte Außtrâgsrichter** / originaliter quidem descendunt ex pactis Illustrium familiarum, quæ dicere solemus **Erbvertrâg / Erbvereinigung / Erbverbrüderung** / in quo puncto necessaria est confirmatio Imperatoris inter Status Imperii vel Nobiles immediatos, eaque etiam in vim legis confirmantis *d. l. Ordin. Cam.* exprimitur, & jam ante à Maximiliano I. Imperatore *de anno, 1495. in Ordin. Camera rubr. wie Chur = Fürsten / Fürsten &c.* fuit sancita, ut videlicet Austregis pactitiis relinqueretur locus, & iisdemum cessantibus ad legales pateret accessus.

B

X. Nec

Nec obstat *l. privatorum 3. C. de jurisd.* ubi privatorum consensus non potest tribuere jurisdictionem, tum quia personæ tales non sunt simpliciter loco privatorum, tum quia consensus & approbatio Cæsarea Austregis hujusmodi pactitiis simul tribuit vim & robur inter pacifentes earumque familias; tum deniq; quia lex Ordinationis Austregas conventionales expressè approbat *part. 2. tit. 2. in verbis:*
Welche sonderliche gewilkührte rechtliche Aufsträg gegen einander haben / der sollen sie sich laut derselben gegeneinander gebrauchen;

T H E S I S XI.

Quo intuitu quæri potest, an adhuc hodiè Austregale forum pactione Statuum introduci & stabiliri possit? quod utique affirmandum est in genere, valet enim talis pactio inter personas, quæ *νομοθετοῦν* habent, in vim legis, vel statuti gentilitii, eò magis, quod & in minoribus Collegiis atque sodalitiis, id quod à Collegis vel sodalibus nomine Collegii aut sodalitatis statuitur vel disponitur, singulos qui sunt de Collegio vel sodalitate obligat *juxta l. fin. ff. de Colleg.* ubi hoc idem ex antiquâ lege Solonis transcriptum est.

T H E S I S XII.

Sed ulterioris indaginis videtur, an ad eam rem necessaria sit Cæsarea confirmatio? non requiri dixeris, postquam lex Ordinationis Austregas legales expressè approbaverit verbis modò relatis, sed penitiùs rem consideranti, contrarium apparebit verius, nam primò minus probabile est, voluisse legum latores Austregarum supra relatos, universas Ordinationis leges, quibus Judicibus Austregalibus constituendis per plures titulos & in variis casibus certa
 forma

forma præscripta est, eâ Ordinationis parte, quæ conventionalium Austregarum usum permittit, vel subvertere, vel pactio- num contrariarum arbitrio dubiam relinquere, argumento petito à simili *ex l. si quando 35. C. de in off. testam. junct. l. jus publicum 38. ff. de pact.*

THESIS XIII.

Deinde *textus Ordinationis allegatus* non firmat regulã Austregarum conventionalium quoad omnes Status, sed tantum in primo casu principali, quando nimirum lis est ab utrâque parte inter Electores, Principes vel Principibus pares, ita ut tam actor, quàm reus hâc tali conditione emineat. Itaque minorum Imperii Procerum & Nobilitatis immediata Austregas conventionales confirmatione Cæsareâ haud subnixas, minimè firmat ut *ex d. l. ult. ff. de Colleg. contrarium* argumentum in his formari possit, nimirum ejusmodi generis pactioes legi publicæ Imperii, quæ Austregis certam formam dedit, adversas, haud valere, utique ut dixi, absque confirmatione Cæsareâ, quâ pactio talis specialiter approbatur, & paciscentes quasi specie dispensationis ab observantiâ formæ Austregalis fori per legem præscriptæ eximuntur.

THESIS XIV.

Plus considerationis habet quæstio in majoribus Ordinibus, Electoribus nimirum, Principibus, & quiis pares habentur, quos *Ordinatio* vocat *Fürstnâßige* / an hi hodie- num validè paciscantur de Austregis conventionalibus absque confirmatione Cæsareâ? quam quæstionem non obstante *textu Ordinationis præallegato*, probabilius, cer- tè tutius negari quàm affirmari arbitror, sunt enim verba *hujus textus* concepta de Statu temporis tunc præsentis:

**Welche sondere gewillführte rechtliche Außtrâg
B 2 gegen**

gegen einander Nb. haben; quibus approbantur conventionales Austregæ, quæ jam tum, tempore hujus legis conditæ introductæ erant, sed statim subjicitur alia dispositio, *in verbis immediate sequentibus: welche aber die selbige Austrag gegen einander nicht hätten / solider clagend Chur Fürst &c.* ubi provisio est de legali foro Austregarum & constituendo iudice inter Principes, cui omnes Electores ac Principes obstringuntur, igitur non videtur similis esse ratio, quæ olim in obfirmatione fori Austregalis exacto, nam ante legem publicam nulla erat Austregalis fori forma, nisi quæ subniteretur, uti & tota illa consuetudinaria observantia, consensu Principum; huic rei igitur facilius potuit contrariâ pactione derogari, quàm nunc publicæ Imperii legi sine confirmatione Cæsareâ.

THESIS XV.

Quod verò dixi tutius hanc quæstionem negativè resolvi, non est abs re, posset enim facilè successor principatus ad forū Austregale legale provocare, sperto conventionali noviter introducto, ubi nulla adesset Cæsarea confirmatio, eâ scil. ratione, quòd pactio prædecessoris, ipsum in vim legis non obliget, pari Imperio & potestate suffultum, prout similiter argumentatur *Innocentius III. Pontifex in c. innotuit 20. vers. quamvis X. de election. & elect. potest.* quæ utique obtinent in successore Principatus non propriè dicto herede.

THESIS XVI.

Cæterum forma fori Austregalis pactitil & quæ ad totam hanc rem pertinent, petenda sunt ex tenore conventionis, itaque eo fine inspicienda pacta confraternitatum, vel gentilitia in quibus plerumque hâc de re disponi

poni solet, quorum vetera ante leges Austregales jam con-
 venta sine dubio nullâ indigent Cæsareâ approbatione,
 cum jam per legem publicam sint confirmata, in recentio-
 ribus autem vel hodiernis eandem exigi ex deductis pro-
 babilibus, vel in casu præmisso proximo ad minimum
 tutius videtur.

THESIS XVII.

Et his apparet quòd pacifice Austregis non indiffe-
 renter permissum sit omnibus, sed tantum Electoribus
 Principibus & Statibus Imperii nec non Nobilibus imme-
 diatis, privati enim inter se non habent iudices Austrega-
 les ex conventionione, nec obstat quod *in Ord. Cam.* legimus
p. 2. tit. 6. §. doch einem jeden. pacta consuetudinem vel
 observantiam Electorum Principum, Procerum vel Nobi-
 lium Imperii cum subditis suis valere, quia non constat
 has conventiones esse de Austregis propriè loquendo, sed
 cum Principes & Status nolint viâ facti procedere contra
 subditos in causis controversis, ideòque ipsis privilegio, pa-
 ctione vel observantia, in causis contentiosis certâ experi-
 undi formâ uti permiserint, non statim sequitur, iudices
 ejusmodi esse propriè AUSTREGALES, neque id *in*
textu Ordinationis dicitur, sed potius de sumptibus litis ex
 contextu is locus Ordinationis accipiendûs videtur, si fortè
 apud Consiliarios Principis agitaretur, aut apud alios arbi-
 tros, ab utrâ parte præstari debeant, qualis disceptatio in-
 ter Serenissimum Electorem Brandenburgicum Frideri-
 cū Wilhelmum gloriosæ memoriæ & Civitatem Colber-
 gensem ante hâc constitit quod ipsum *inter responsa Dn. pa-*
rentis Academica inveni.

THESIS XVIII.

Judicium verò AUSTREGARUM conventio-
 naliu

B 3

nalium

nalium plerumque vel ad Agnatos vel ad Vasallos Nobiles vel ad certa Collegia juris Consultorum controversias deferre solent paciscentes ; ubi quæritur an plures AUSTREGARUM pactitiarum gradus facere liceat? v. gr. si quis se gravatum putet ab hoc FORO AUSTREGALI, appellatio habeat locum ad aliud? & in Amicabilibus AUSTREGIS ni hil obstat, quo minus plures gradus admittamus, quia tota hæc res ad voluntatem paciscentium refertur, in contentiosis verò, constituentibus primam instantiam, regulariter hoc non affirmaverim, in dubio enim unicum tantum concessum est privilegium primæ instantiæ, sic autem in effectu essent multa, pro numero AUSTREGALIUM judiciorum, quæ aliàs ex facili tot constitui possent, ut controversias vix, aut rarò liceret ad Tribunalia Imperii devolvere, adeòque declinaretur ordinaria juris dictio, pro quâ in dubio est pronuncian- dum *l. Imperatores 21. ff. de Apell. l. nemo 4. C. de jurisd. Rec. Imp. de A. 1654. S. weilen auch der Ständen* 116.

THESES XIX.

Materiam objectivam AUSTREGARUM pactitiarum quod attinet, in ea par est ratio, ut in FORO AUSTREGARUM legali, itaque de hoc nunc dicendum, cum ergò ex lege Ordinationis fundamentum habeat, totuplex erit FORUM AUSTREGALE juxta legem, quotuplices sunt casus diversi Austregarum obtinentium in ipsâ lege fundati, qui quidam quatuor recensentur, vel cum Electores, Principes, aut Principibus pares in lite in vicem consistunt, vel cum hi tanti Culminis Actores litem intendunt Proceribus inferioris Ordinis, Comitibus, Prælati, vel Baronibus Imperii, sive etiã Nobilibus immediatis, aut cum contra hi Actores contendunt contra Reos Principes, hisque pares, aut denique cum inferiores hi Ordines vel Nobiles

Nobiles immediati inter se disceptant in FORO primæ instantiæ, qui sunt quatuor AUSTREGARUM casus, relati in lege Ordinationis Camerae, per quatuor titulos, scil. part. 2. t. 2. 3. 4. & 5. Neque verò tanti momenti est locus ipse, ubi iudicium AUSTEEGALE agatur, quàm ratio fundandæ jurisdictionis AUSTREGALIS, quæ, quia FORI AUSTREGALIS legitimi proximum est fundamentum, & ex circumstantiis personarum variat, optimè poterit per regulas explicari.

THESIS XX.

Sit itaque regula prima generalis: quoties reus est mediatus, toties cessant Austregæ, jure constitutionis Imperii, & est ratio, quòd Constitutiones Imperii de Austregis, pertineant solùm ad Principes & Proceres Nobilesque Imperii immediatos, mediati non apud Austregas, sed in foro ordinario conveniendi sunt *Ord. Cam. p. 2. tit. 1.*

THESIS XXI.

Regula secunda: si reus est immediatus, & actor etiam immediatè Imperio subjectus, sive ejusdem, sive diversæ sint conditionis & dignitatis, locum habent Austregæ, licet diversi sint iudices, pro diversâ scil. litigantium conditione & dignitate, quæ regula fundamentum habet *ex Ord. Cam. part. 2. tit. 2. & seqq.* In Civitatibus tamen Imperii, speciale Austregarum privilegium non habentibus, hæc regula fallit.

THESIS

Regula tertia: si reus est immediatus & principalis conditionis, tunc, siue auctore existente mediato, siue immediato, locum habent Austregæ, propter *Ordinat. Cam. tit. 4. §. und sollen solche. 18.* adeoque Civitates æquè debent convenire Principes coram Austregis, ac Proceres alii Imperii vel Nobiles, id quod & ex eodem textu de plebeis, civibus & rusticis asserendum est, nisi forte qualitas causæ aliud suadeat, ut in mandatis sine clausula & similibus, cujus generis mandata decernuntur etiam contra Principes.

T H E S I S XXIII.

Quarta denique & ultima regula est: si, reus sit immediatus, inferioris tamen Principe conditionis, scil. Prælatus, Comes, Baro Imperii, aut Nobilis immediatus, tum auctore existente privato vel mediato, non habent locum Austregæ, nequidem in causis ordinariis vel simplicis spoliis, & hæc regula fundamentum habet in eo, quod Ordinatio Cameræ tali casu nihil statuerit de Austregis, & per consequens jurisdictio Cameræ fundata sit juxta regulam *Ordin. Cam. tit. 27.* atque ita censent Cameralis juris scriptores *vid. Gail. lib. 1. obs. 1. n. 46.* idemque est, si Civitates Imperii adversus tales Proceres vel Nobiles agant.

T H E S I S XXIV.

Quid in Principe vel Comite extero obtineat, an & hi habeant jus Austregarum, quæstionis est? V. gr. si Princeps aut Comes Italus, quales sæpissimè degunt in Aulâ Imperatoris, convenire velit Principem vel Comitem exterum, an id fieri debeat coram Austregis, an verò ut in-
 terris

terris Imperii domicilium habentem apud Aulam vel Ca-
meram Imperialem, & est veriùs Austregas cessare, & sic
fundatam esse juris dictionem Camerae ac Judiciii Imperi-
alis Aulici, tum propter regulam *d. tit. 27.* tum quòd pri-
vilegiata Austregarum dispositio, quæ de Principibus, Pro-
ceribus & Imperii Nobilibus agit, tanquam jus singulare
non sit extendenda ad casus non comprehensos, *arg. §. 9.*
Inst. de jur. natur, gent. & civil. l. quod verò 14. ff. de LL.

T H E S I S XXV.

Et idem etiam Statuum Legati in Comitiiis de *anno*
1613. censuerunt, dum existimaverunt, Principem Im-
perii ab Actore extero immediatè conveniendum esse in
Camera, prout ex *Cubachio refert Arum. vol. 4. Jur publ. discurs.*
36. §. 46. item Dn. Myller. in not. ad Rümmlin super A. B. part.
2. dissert. 1. thes. 4. in add. p. m. 261. Viceversâ, si Princeps vel
Comes exterus conveniendus foret, distinguendum est, ut
si ad certum tempus degeret in Aulâ aliquâ, coram Præ-
fecto Officiorum, vel ex jure communi, ratione domicilii,
coram Ordinario loci conveniri deberet, requiritur autem
talis Ordinarius, qui ibidem jura Principis vel territorii ha-
beat, personæ etenim Illustres non possunt conveniri, nisi
coram Principe *arg. l. fin. C. ubi senator vel Clariss.*

T H E S I S XXVI.

De Rege Sueciæ quæritur an & hic gaudeat privilegio
Austregarum? in affirmativam inclinât *Dn. Blumius de*
Process. Cam. tit. 46. n. 30. Oldenburg. ad Instrum. pac. p. 115.
ubi ille hanc rationem reddit, quòd ejus modi Reges sub
numero Principum Imperii complectantur, sed rectiùs di-
stinguitur, inter negotia, Regnū Sueciæ, & provincias Sue-
corum Germanicas concernentia, ut in illis privilegium
primæ instantiæ cesset, in his verò, tanquã Principe Imperii

C

habeat

habeat locum, cùm comprehensio de qua loquitur *Blumius d. l.* tantum respectivè & ratione feudorum Imperii intelligenda sit *vid. Dn. Parens in d. Disp. 3. ad Rec. Imp. Nov. 0 43.*

THESIS XXVII.

Fœminæ autē Ducissæ, vel Comitissæ Imperii, si sint innuptæ conveniuntur in foro patris, si verò nuptæ, sortiuntur forum mariti, & quidem etiam durante viduitate *l. 13. C. de dign. l. Senator. C. eod.* nisi quis forsitan putet, licitū ipsis esse, quandoq; ad Imperatorem cognitionem immediatè deferre, per *l. un. C. quand. inter pupill. vel vid.* sed hoc de praxi non procedit, ut videre est apud *Gail. 2. obs. 1. n. 40.* maximè si privilegio Austregarum uti volunt, *add. D. Parens. in d. Disp. 3. ad Rec. Imp. Nov. 0 44.* De fœminis verò innuptis quod dictum, intelligendum est, si legitimam standi in judicio personam habeant, aliàs etenim in judicio patris defendendæ sunt, si degeret, atque in ejus forent potestate, aut per tutores, vel curatores, ex communi jure notissimo.

THESIS XXVIII.

Præmissis regulis quibus, Austregis locus sit, vel non, considerandi nunc veniunt modi, judicis Austregalis constituendi, & quidem, quoad primum illum casum, quando actor est Elector, Princeps, vel Principi par *Ein Fürstinassiger / Befürsteter Abt oder Graf* & reus etiam talis, tunc judex Austregalis inter illos non est alius, quàm Princeps aliquis Imperii, præviâ requisitione ritè nominatus & electus, *vid. Ordin. Cam. d. tit. 2.* quo casu forum Austregale legitimum, est judicis hujus curia, vel similis locus, in aliquâ subjectâ civitate municipali *juxt. text. Ord. d. tit. 2. §. Darrauff sol l. circ. med.* quin re hic ordo servatur, primò actor Princeps, reum Principem super Austregis requirit, deinde reus intra spatium quatuor septimanarum, quatuor Principes, regimini præpositos, (*regirende Fürsten*) duos Eccle

Ecclesiasticos, & duos seculares, ex diversis Familiis oriundos, nominat actori, ex quibus unum actor eligit, postmodum vice judicis Austregalis functurum *Ordin. Cam. p. 2. tit. 2. in pr.*

THESES XXIX.

Quod si actor est Principalis conditionis, reus verò inferioris ordinis, forte Comes Imperii, aut Nobilis immediatus, tunc judex Austregalis est Princeps aliquis, vel Principalis conditionis, non verò per solam illam nominationem vel electionem constituitur, sed etiam per speciem Commissionis, & hoc posteriori modo differt à primo casu, requiritur autem *juxta Ordin. Cam.* ut Princeps non ultra duodecim milliaria distet ab actore, *d. part. 2. tit. 6.* quod tamen extensum est ad viginti milliaria in *Rec. Dep. Imp. de anno 1600. §. und nach dem Ungleichheit etc.*

THESES XXX.

Per inversum, quando actor immediatus, est hujusmodi inferioris conditionis, reus verò Principali dignitate fulget, tunc octo judicis constituendi viæ præscriptæ sunt, de quibus *in Ordin. Cam. d. part. 2. tit. 4.* hæ viæ autem non incommodè ad quatuor reduci possunt, vel enim agitur coram Consiliariis, qui interdum sunt novem, (:ubi notandum, quòd ad minimum quinque debeant esse Nobiles :) vel etiam pro lubitu actoris fortè septem vel quinque, vel coram aliis arbitris, & Consiliariis mixtim *§. zum Fünfften & §. zum sechsten d. t.* vel coram Principe ritè nominato & electo, vel coram Consiliario Imperatoris specialiter impetrato, quæ duæ judicis constituendi viæ etiam tum obtinent, si uterque, & actor & reus, sit è numero Comitum, Baronum, Prælatorum vel Nobilium Imperii *juxta Ordin. Cam. d. part. 2. tit. 5.* sed hæc regula sic declaranda est, ut præ cæteris Austregæ habeant locum ex pacto, à Cæsare à Majestate scil. ex prædeductis confirmato, si tale pa-

Etum extet, quòd si pactitii Austregarum iudices nulli sint, tunc Austregæ inveniant locum ex lege Ordinationis, ut prius dictum est.

THESIS XXXI.

Haectenus dictum de legalibus Austregis, quas Principes, cœterique Proceres ac Nobiles immediati in causis inter ipsos controversis regulariter habent, vel ex pacto, vel ex dispositione legis; Nunc de Civitatibus videndū, an & hæ habeant iudices Austregales? & licet *textus Ordinationis Camerae loc. cit.* non disponat de Austregis Civitatum, constat tamen multas gaudere primâ instantiâ ex privilegio, ut Francofurtum ad Mœnum, ex privilegio Adolphi de anno 1294, & Caroli IV. Imp. de annis 1349. & 1350. sic Noriberga, Ratis bona Eslinga, Suinfurtum & aliæ Civitates, iudices primæ instantiæ ex privilegio habent *Wehner. tom. 6. Symph. c. 7. fol. 147. & seqq. Limnaeus lib. 7. jur. publ. c. 1.* hinc vocantur Austregæ privilegiariæ *add. Knipschild. de Civit. Imp.* Et harum quidem Civitatum Austregarum ratio constituendi iudicis, & cœtera, quæ ad eam rem pertinent, petenda sunt ex tenore privilegiorum, ut supra dixi, in conventionalibus Austregis, quòd talia desumi debeant ex verbis pacti.

THESIS XXXII.

Sequuntur jam causæ, ad Austregale iudicium pertinentes, quæ ut eò melius innotescant, generalem regulam præmittere lubet: Omnes scil. causas ad Austregas pertinere, nisi prohibeantur, *facit textus Ordin. Cam. part. 2. tit. 4.* hinc videndum, quænam specialiter prohibeantur; Repugnant itaque primò causæ criminales, quæ inter immediatos, vel in iudicio Principum, vel coram solo Imperatore sunt decidendæ.

THESIS

T H E S I S XXXIII.

Nec valet eorum sententia, qui causas criminales ad iudicium Austregale pertinere asserunt, inter quos est *Mindan. de process. c. 9. pr. Stephan. 2. de. jurisd. p. 1. c. 2. n. 46. Arum. ad A. B. dissert. 5. §. 12.* qui multas rationes adducunt, & præprimis *Ordinationem Camerae d. part. 2. tit. 4. ibi: Spruch oder Forderung &c. item warumb/ oder auß was Ursachen das wäre /* ubi dicunt, quòd per vocem **Spruch und Forderung /** etiam intelligantur causæ criminales, *l. ex iudiciorum 20. ff. de accus. & quòd textus tit. 4. quia generaliter loquitur, generaliter quoque de omnibus causis sit intelligend9, in eamque rem allegant l. de pretio 8. ff. de publ. in rem. act. l. fin. C. de. hered. vel act. vendit. ac dicta verba: Warumb / oder auß was Ursach das wäre / geminata esse dicunt, verba autem geminata simplicibus semper esse fortiora, & vim clausulæ derogatoriæ habere.*

T H E S I S XXXIV.

His autem, & similibus non obstantibus, verior est sententia *Rümlin. ad A. B. p. 2. dissert. 1. p. 262. Schubhard. in Disp. de Austreg. §. 5. Reincking. lib. 2. class. 2. c. 16. n. 24.* qui causas criminales ad Austregale iudicium pertinere negant, & *ad dicta verba Ordinationis Camerae* respondent, quòd illa nihil evincant, nam si hæc verba tam latè sumerentur, ut etiam comprehenderent causas criminales, tunc sequeretur, etiam feudales contineri his verbis, quod ipsum autem rectissimè negant, per rationes *loc. cit.* allatas, plura de hac controversia collegit *Ruland. de commiss. p. 1. lib. 2. c. 3.*

T H E S I S XXXV.

De causis matrimonialibus quid dicendum, an & hæc pertineant ad Austregas quæritur? easdem indistinctè eò pertinere affirmat *Mindan. de Process. Cam. l. 1. c. 10. n. 2. Vm-*

nius in *Disp. ad process. direct.* 4. § 52. ita scribens. causæ, de quibus Austregæ judicant, sunt criminales, matrimoniales, & hanc sententiam probare vult *ex Ordin. Cam. p. 2. tit. 2.* ubi statuitur, quòd mixtim, tam Ecclesiastici, quàm seculares Principes à reo nominentur actori, unde concludit, si Austregæ habent locum in criminalibus, cur non idem etiam in matrimonialibus causis admittendum; Alii causas matrimoniales non indistinctè ad Austregas pertinere putant, & si agatur de quæstione facti, sive iudicio possessorio, exempl. gr. si agatur de sævitia maritali, affirmant, inter quos est *Nicol. Myller. de Stat. Imp. c. 20. n. 21.* si verò sermo sit de substantia matrimonii, negant; sed reiectis his omnibus, verior est sententia, causas matrimoniales, Austregis haud convenire, quia ante Austregarum originem Pontifices has causas sibi fecerunt proprias, prout deduxit *Dn. Parens in Disp. ad Recept. Imp. nov. i. § 75.* & sæpè *allegatâ Disp. 3. § 76.*

THESIS XXXVI.

Quæ sententia in utroque causarum genere, criminalium scil. & matrimonialium, ulterius firmari potest hâc ratione, quòd nec criminales causæ per viam appellationis devolvantur ad Cameram, prout disponit *Ord. Cam. part. 2. tit. 28.* nec hodiè causæ matrimoniales ad jurisdictionem Cameræ pertineant, post memoriale visitationis de anno 1670. jam verò constat ab Austregis esse licitum provocare ad Cameram Imperii indistinctè, & generaliter, *ex part. 2. tit. 6. Ordin.* undè necessariò stabilienda regula est, quòd causæ, quæ in secunda instantia & per viam appellationis ad Cameram referri non possunt, nec in primâ instantiâ referri debeant ad Austregas.

Confir-

T H E S I S XXXVII.

Confirmatur ulterius hæc assertio, attento privilegiorum primæ instantiæ, sine, quem supra indigitavi, nam si ideò, ne Principes, Proceres & Status Imperii statim in Camerâ convenirentur, introducta sunt hæc privilegia, consequens erit, hæc cessare in omnibus causis, in quibus demptis etiam privilegiis, nec fuisset olim locus, vel hodiè esset disceptationi judiciariæ in Camerâ, adeòque, quia Principes & Proceres Imperii, nec in criminalibus, nec in matrimonialibus, etiam si nulla essent Austregarum privilegia, in Camerâ conveniri possent, neque huic disceptationi locus relinqui poterit apud Austregas.

T H E S I S XXXVIII.

Tertiò ab Austregarum Jurisdictione excluduntur causæ regalium feudorum, *propter textum Ordin. part. 2. tit. 7.* ubi hoc genus causarum specialiter reservatur Imperatoriæ decisioni, & consequenter à iudicio Austregarum eximitur, cui sententiæ rectè subscripserunt celebrioris notæ *Dd. Vmmius in disp. ad process. direct. 4. § 54. Mynsing. cens. 4. obs. 89. Gail. 1. obs. 1. n. 54. & obs. seq. n. 7. Limnaus lib. 9. c. 5. n. 7. jur. publ. Reincking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 2. class. 2. c. 16. n. 23.* Austregæ enim sunt stricti juris, qua propter, ut non licet eas ad causas, quæ tum de jure communi feudorum, tum de consuetudine totius Germaniæ certos iudices habuerunt, in præjudicium feudalis ordinariæ jurisdictionis extendere, *vid. Gylm. verb. Austrega. vers. jurisdictio*, ita multò minus contra legem expressam in feudis regalibus, jurisdictionem Austregarum propter generalem regulam prorogare, cum constet, specialem dispositionem derogare generali, *l. in toto 80. ff. de reg. jur.* ob prægnantes autem rationes soli Imperatori jurisdictionem in Regalibus feudis reservatã tum *per Ord. Cam. d. l.* tum *per constitutionem*

tionem Caroli V. in Reces. Imp. de anno 1521. his verbis: Ob auch Sachen vorfielen Fürstenthumb/ Graffschafften etc. belangend/ so vom Reich zum Lehen rühren/ so einem Theil gänzlich und endlich abgespröchen werden solten / deroselben Erkantnuß wollen wir uns auch hierinnen vorbehalten haben / & ad verbum hic textus in Ordin. Cam. de Anno 1555. repetitus extat p. 2. tit. 7. ubi autem res ex textu clara est, cessat ulterterior disquisitione, ut ait Castrens. cons. 466. n. 1. Deinde etiam propter dispositionem juris feudalis l. feud. 28. ubi controversiæ de feudo in Capitaneos, coram Imperatore veniunt decidendæ, tertio hoc probant Dd. ex vetustâ Frederici II. constitutione.

THESIS XXXIX.

Quâ tamen assertionem non excluderetur iudicium Principum peculiare, vulgò **das Fürsten-Recht** / in quo Imperatores, assidentibus Principibus, & Proceribus Imperii, olim de genere controversiarum iudicare soliti sunt, si quis secundum scriptum *Anonymi auctoris*, (qui tamen fertur *Marquardus Freherus*;) über die Frag / von Fürstenthumen und Graffschafften des Reichs / quod exhibet *Londorp. tom. 1. act. publ. add. Klock. tom. 1. cons. 7. per tot.* asserere id ipsum vellet. Quod verò, quia hæc controversia præsentis loci non est, nec de eâ iudicium meum ferre ulla urget necessitas, ego quidem facere nolo.

THESIS XL.

Quartò adversantur Austregis, causæ mandatorum sine clausula, quia non obstante privilegio Austregarum, rei immediati sæpissimè in Camerâ conveniuntur, *juxta Ordin. Cam. p. 2. tit. 23.* quid autem in mandatis cum clausula? hisce privilegia primæ instantiæ obstant, quoniam non referuntur inter causas exceptas, quæ, spretis Austregis statim
ad

ad Cameram devolvi possunt, deinde etiam, quia per com-
 paritionem rei, solvuntur in simplicē citationem, *vid. Gail.*
lib. 1. obs. 78. n. 1. possunt tamen ex continentia causæ fun-
 dare jurisdictionem in primâ instantiâ, spretis iudicibus
 Ordinationis, uti docent varia hâc de re extantia præjudi-
 cia; Sunt & aliæ cessantium Austregarum causæ, ut pro-
 scriptionum, item causæ in mero iudicis officio consisten-
 tes, & similes, *add. Blum. de process. Cam. tit. 27. pag. 136. & seqq.*
 an verò & qualiter procedatur coram Austregis in causis
 spoliū *vid. in Ord. Cam. d. part. 2. tit. 8. & Roding. lib. 1. P. C. t. 4. e. 6.*

THESIS XLI.

Tertium membrum quod concernit, videlicet pro-
 cessum Austregarum, prout non semper unus idemque ju-
 dex, sic etiam non eadem planè procedendi ratio, quemad-
 modum verò procedatur coram Austregis pactitiis aut pri-
 vilegiatis, desumendum est, vel ex pactis Procerum & No-
 bilium Imperii, vel ex tenore privilegiorum, uti prius de
 ratione constituendi iudicis dictum.

THESIS XLII.

Legales verò Austregas quod attinet, primo illo ca-
 su principali, ubi lis est inter Principes ab utrâque parte, ju-
 dex Austregalis causam statim suscipere, diem & locum in
 quarundam suarum Civitatum partibus litigantibus præ-
 figere, & controversiam adhibitis Consiliariis suis non sus-
 pectis cognoscere, ac secundum juris normam disceptare
 tenetur, quòd si ante finem litis is moriatur, tunc ex reliquis
 Principibus similiter nominatis, alius est eligendus, qui cau-
 sam in statu quo, cognoscat, ac citissimè sententiâ suâ diri-
 mat *Ordin. Cam. d. part. 2. tit. 2. §. und darauff soll junct.*
§. fin. unde non placet sententia Mindani lib. 3. c. 5. n. 10. as-
 ferentis coram successore etiam processum continuari
 posse,

D

Posse, repugnat enim hæc res *litera textus Ordin. d. part. 2. tit. 2. d. §. darauff soll junct. §. fin.* nec de consuetudine contrariâ sufficienter constat.

THESIS XLIII.

Eadem quoque est procedendi ratio in secundo casu, ubi scil. Principes conveniunt inferioris dignitatis ordines, vel Nobiles immediatos, & hoc est, quod textus Ordinationis Camerae innuit p. 2. tit. 3. quando vult procedendum esse pro tenore Ordinationis, *nach laut der Ordnung/ prout pluribus ostendit Dn. Parens in sæpè alleg. Disp. 3. ad Rec. Imp. Nov. 162. & seqq.* quod idem quoque obtinet in tertio casu *d. tit. 3. §. zum dritten.*

THESIS XLIV.

Speciale est in Austregali foro Consiliariorum, quod ex illis electus iudex sive confessus judiciarii Præses, cæteros de Collegio devinciat juramento, de rectè administrandâ justitiâ, & senior ex Consulariis postmodum ipsum Principem, *Ordin. Cam. d. tit. 4. in pr.* ac deinceps ordine & tramite legitimo procedatur, usque ad finem causæ.

THESIS XLV.

Speciale alterum quòd in hâc controversia cesset reconventio, *ex textu Ordinationis Camerae d. tit. 4. pr.* cujus rei probabilis ratio posita est in suspitione Procerum minorum, qui non putaverunt justitiæ benè consultum iri, si, dum ipsi convenirent Principem, coram Consulariis suis, liceret reconvento, actorem reconvenire, atq; adeò contra regulam juris communis *in l. cum Papinianus 14. C. de sentent. & nov. 96. c. 2. t. t. x. de mut. petit.* fundatam, hoc casu reconventionem non admittere placuit, eique rei Principes, ut aliis constituendi iudicis rationibus, quo sincerior videretur justitia, annuisse vero simile est, cum quidem non constet, in Cæteris Austregarum casibus & viis reconventioni locum relictum.

THE-

THESIS XLVI.

Quæritur tamen, an tunc, ubi coram Austregis licita reconventio est, iure quoque fiat in causis Austregali jurisdictioni & foro repugnantibus, velut in causis regalium feudorum, quod licet affirmet *Dn. Myller in not. ad Rumlin.* rectius tamen de jure negatur, nititur enim competentia fori ex reconventionem præsumpto legis consensu, quod qui actionem instituit coram iudice, videatur eundem in causa, quam reus contra ipsum habuit, elegisse, sed hic consensus non proficit, neq; extendi debet ad causas, quæ per se non pertinent ad jurisdictionem huius iudicis, uti rectè annotaverunt *Dd. ad. d. l. cum Papinianus*, nam nec consensus expressus valuisset, ut prorogasset jurisdictionem iudicis, in causis eidem specialiter repugnantibus.

THESIS XLVII.

Succedit executio sententiæ, ubi quæstio incidit, ad quem videlicet ea pertineat? *Dn. Blumius de process. Cam. tit. de Austregis.* executionem sententiæ Austregalis Cameræ adscribit, ex eâ ratione, quòd Austregis tantummodo causæ cognitio & pronuntiatio sententiæ concessa sit, quæ sanctio non debeat extendi; *Schubhardus verò de Austregis c. 6. n. 202. & seqq.* executionem sententiæ Austregalis ipsis Austregarum iudicibus competere asserit, quia scilicet sint Commissarii Principis, ut propterea valeat argumentum *ex c. quærenti x. de offic. & potest. jud. deleg.* ubi delegato Pontificis datur facultas exequendi, cur non igitur etiam delegato Cæsaris *d. §. zum achten in verbis: vor den neun die Hauptsach und execution erster instanz gehöret/* & huic sententiæ, utpote veriori, adstipulatur *Dn. parens meus in alleg. Disp. 3. §. ult.*

THESIS XLVIII.

Non dubito tamen, posse etiam in Camerâ supplicari,

Pro mandatis executorialibus, maximè, si iudici Austregali fortè desit exequendi copia, ut Camera hunc defectum supplere queat, demandando Principibus Circulorū executionem, nec statim sequitur, ubi Camera mandare potest iurisdictionem ex aliquo defectu, ibi iudici à quo, executio nulla competit, nam & in causis privatorum decisis si supersedeant Magistratus sententias suas exequi, iisdem ex imploratione partis à Camera demandari potest executio, quàmvis & ipsi sine dubio eam habeant.

THESIS, XLIX.

De renunciatione nunc quæritur, an scil. licitum sit foro Austregali renunciare? quod affirmatur, quilibet enim privilegio fori sibi à Principe concessio potest renunciare *l. si quis in conscribendo 29. C. de pact. l. 1. ff. si quis in jus vocat.* adeò, ut non requiratur licentia Iudicis ordinarii, sed consensus partium sufficiat *text. in l. 1. §. 2. ff. de jud.* Debet tamen renunciatio isthæc esse certa, nec erronea, & ab eo facta, qui privilegii fuit conscius *arg. d. l. 1. §. 2. ff. de jud.* Generalis verò renunciatio non sufficit, sed requiritur specialis, imò si renunciatio fieret in præiudicium tertii alicuius, eatenus non valeret, quoniam nemo iuri in suum & alterius favorem introducto renunciare potest *Gail. 1. obs. 4. num. 10.*

THESIS L.

Quod non tantum verum est, de expressa renunciatione, sed & de tacita, utpote si quis habens privilegium primæ instantiæ, conventus in aliquo Imperii iudicio, litem simpliciter & sciens contestaretur, hic enim prorogasset iurisdictionem fori Imperialis *d. l. 1. ff. de jud. l. sed & si suscepit. 52. eod. l. 1. C. de jurid. l. fin. C. de except. cui rei pro remedio salutaris est clausula de non consentiendo in iurisdictionem*
& fo-

& forum iudicis, nisi quatenus reus teneatur. Et hæc de nobilissimâ hâc materiâ, pro ingenii viriumque facultate, & ratione temporis differuisse sufficiat, ac pro divinâ assistentiâ

SIT SANCTÆ TRIADI
GLORIA, LAUS ET HONOR.



COROLLARIA.

I.

A Natocismus, seu usura usurarum non tolerantur.

II.

Consensus in negotio matrimonii sæpius elicitur taciturnitate.

III.

Depositarius ad culpam levem & levissimam, imò ad casum fortuitum prestandum adstringitur.

IV.

In probationibus favorabiliores sunt partes rei, quàm actoris.

D 3

V. Præviâ

30. (10)

V.

*Præviâ causæ cognitione opus est, ad hoc, ut
quis prodigalitatæ reus censeatur.*

VI.

Sponsi sibi invicem succedunt.

VII.

*Tutores & curatores, licet rerum pupilla-
rium Domini non sint, sed tantum administra-
tores, res pupillares alienare possunt.*

VIII.

*Usuræ, ultra alterum tantum solutæ, tan-
quam indebitæ, possunt repeti.*

IX.

*Vulneratus, si febrî corripitur, præsumitur
ex febrî mortuus.*

X.

*Vulneratus, si nolit adhibere curam, vulne-
rans pœnâ ordinariâ non punitur, sed tenetur tan-
tum de vulnere.*

Quod

Quod felix sit & auspiciatum! honores,
 Augustæ Themidos benigna dona,
 Multum gratulor & TIBI PATRIQUE,
 Cui circumposuit decus perenne,
 Cum virtus sua tum scientiarum
 Dives copia, Cui TE, amice TEXTOR,
 Dum non degenerem probare gestis:
 Has dotes animi ut DEUS tueri,
 Ac augere suo velit favore,
 Incomiti hendecasyllabi precantur.

Nobilissimo Domino Candidato l. m. q. faciebat.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, D. & P.P.



Sonnet.

Weil er sehr wehrter Freund verdient der
 Themis Krone/
 So will ich bauen ihm ein kleines Lob-
 Altar/
 Den ihm die Tugend giebt zu seines Fleißes Lohne
 Den er hat angewent bishero viele Jahr/
 Die er gewidmet hatt/ entfernt von allen Lüsten
 Gott und der Musen Schaar / was hat er nicht
 gethan/

Von

AKT 3488

Von Kindes Beinen auff: von seiner Mutter Brüsten
hat ihn die Themis schon zum Sohn genömen an/
Die wirdt auch krönen bald sein Haupt mit Lorbeer
Zweigen

Die nichts als Zeigen sindt der angewendten Müh/
Ja die gelährte Welt wirdt sich stets vor ihm beugen/
Und wündtschen daß bey ihm die Tugendt stetig
blüh

Ich muß auß grosser Eil numehr die Reimen schlüssen
nehmbt doch von mir geneigt/ diß schlechte Schret-
ben an

Und wie die Sonne pflegt die Sonnen-Blum zu küssen
So werft auch meine Strahl auff das was ich
gethan.

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem Herrn
Licentiaten, seinem wehrten Freund und
Gönner seine schuldige Observanz bezeis-
gen wollen.

J. C. Baur ab Eyseneck, M Francof.


E N D E.



Handwritten blue ink scribble or signature.

Handwritten blue ink scribble or signature.






Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



antissima
cofurtensis
rocibus
IS
maximéq; Stre-
Prudentissimis
V. DN.
ORI
LIBVS
NIS
RIBVS
Gravissimis,
tronis suis
ernum prosequendis,
ationem humillimé
offert ac consecrat
AUTHOR

BIR
PON

UNIV

